



# Q·SEPTIMII FLOREN

T I S T E R T V L L I A N I,

D E H A B I T V M V

L I E B R I L I B E R :



I TANTA in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cœlis, nulla omnino uestrū sorores dilectissimæ ex quo deum uiuum cognouisset, & de sua, id est de sceminæ conditione didicisset, lætiores habitum ne dicam gloriosiores appetisset, ut nō magis in sordibus ageret, & squalem potius affectaret, ipsam se circumferens Euam lugentem & pœnitentem, quo plenius id quod de Eua trahit (ignominiam dico primi delicti & inuidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitū expiaret. In doloribus & anxietibus paris mulier, & ad uirum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui, & Euam te esse nescis. Viuit sententiā dei super sexum istum, in hoc seculo uiuat & reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis primā desertrix, tu es quæ eum suastisti quem diabolus aggredi non ualuit. Tu imaginem dei hominem tam facile elisisti: propter tuum meritum, id est mortem, etiam filius dei mori habuit: & adornari tibi in mente est, super pelliceas tuas tunicas. Age nunc si ab initio rerum & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges insuerent, & Babylonij intexerēt, & Margarita canderent, & ceruina coruscarent, si ipsum quoq; aurum iam de terra cum cupiditate prodisset, si iam & speculo tātum mentiri liceret, & hæc Eua concupiit, de paradiso expulsa, iam mortua opinor. Ergo nec nunc appetere debet aut nosse, si cupit reuiuiscere, quæ nec habuerat nec nouerat, quando uiuebat. Ideo omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta. Nam & illi qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi scilicet angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, ut hæc quoq; ignominia sceminæ accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes plerasq; non bene reuelatas, seculo multo magis imperito prodidissent (siquidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum uires prouulgauerant, & omnē curiositatem usq; ad stellarum interpretationem designauerant) proprie & quasi peculiariter sceminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerūt:

Habitus satisfactio-  
tionis.

Q 2 lumina